



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXII. Avaritia & proprium interesse Filium Dei ad mortem crucis magna ex causa promoverunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO LXII.

Avaritia, & proprium Interesse Filium
Dei ad mortem crucis magna ex causa pro-
moverunt.

*Expedi vobis, ut unus homo moriatur pro populo, & non
tota gens pereat. Jo. II. 50.*

I.

Singulari observatione dignum est, quod de Israëlitis in Exodo legitur, qui, cum de Ægypto egressi fuissent, ut in terram promissionis se conferrent, prius multas Ægyptiorum opes secum abripuerunt. His tamen non contenti Ægyptios in mari rubro submersos, & ad littus à fluctibus ejectos volebant de novo spoliare; proinde magno impetu in hanc prædam involarunt, sed Moyses eorum dux acriter obstitit, atque ad viam citius in terram desiderabilem capeffendam compulit, unde Scriptura: *Tulit Moyses Israël Exod. 15. 22, de mari rubro, & egressi sunt in desertum Sur.* Supra quod pereleganter Lyranus: *Dicitur, inquit, tulit: quia cum quadam violentia, & importunitate fecit eos inde recedere; erant enim cupidi, & idè nimis intenti ad spolia Ægyptiorum submersorum colligenda.* Ecce innatam Hebræorum avaritiam, qui quam maximè inter omnes gentes suum Interesse quarere solent; quod & cum Christo fecerunt Interessati, donec tandem eum ad ignominiosissimam crucis mortem promoverint. De qua veritate plura in præfenti.

2. *Corpus per anagramma Porcus; Et sicut porcus nihil valet, dum vivit, & aliquod utile, nisi quando moritur, unde lemma Picinelli: Tantum in funere prodest; Sic & avarus, subintrat hic Sanctus Doctor S. Bonavent. raphicus, non valet aliquid in vita, nec prodest, quia non vult restituere malè parta, nec dare elemosynam &c. Sed moriens incipit esse liberalis, quia bona sua non potest auferre secum, unde de illo diabolus participat animam, vermes hæreditant corpus, & amici divitias,*

Gg 2

unde

unde iterum usu venire affolet: *De malè quæsitis non gaudet tertius habes.*

Hinc optimè Gentium Doctor S. Paulus de ejusmodi interessatis: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli; in quem finem D. Chrysoſtomus divitias appellat compedes, cujus verba sunt: Dives suis compedibus irretitur, & hoc quidem optimâ ratione, quia tanquam captivus & mancipium à dæmone detinetur, ne liberè ad cœlestem patriam possit pervenire, quod patet ex illo divite usurario, in cujus exequiis S. Antonius concionaturus pro themate illud Christi assumpsit: Ubi est thesaurus tuus ibi est & cor tuum; Et vultis habere probam? Ite ad thesaurum ejus, & in illius medio cor hujus avari invenietis. Abierunt amici, & cor adhuc calidum in medio nummorum invenerunt. O auri sacra fames quid non mortalia cogis pectora?*

1. Tim. 6. 9.
S. Chrysoſt.
hom. in ep.
ad Tit.

Math. 6. 21.
Sur. 13. Junii
c. 28.

Baruch. 3. 16.

Ubi sunt, quærit Baruch Propheta, qui argentum thesaurizant & aurum, in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum? Et respondet sibi: Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt. Et tu, anime mi, vis sequi? Ah non.

3. Talis fuit Adolescens ille, qui per mandatorum Dei observantiam alacriter ad vitam contendebat æternam, unde volebat proprius adherere Christo: *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? Ad quem Christus: Si vis perfectus esse, vende, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, & sequere me. Sed quid subjungit Evangelista? Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones. Ecce proprium interesse hunc aliàs bonum adolescentem à via salutis avertit, & fortasse etiam ad Orcum ablegavit.*

Gen. 37. 28.

O Interesse, tu quàm maximè Dominum nostrum Jesum Christum ad mortem crucis promovisti. Interesse fratres Joseph excœcavit, ut innocentissimum hunc adolescentem ac fratrem suum Ismaëlicis mercatoribus in servitutum venderent viginti argenteis, hoc est; decem florenis Brabanticis: Judas mercator pessimus Dominum ac DEum suum ad crucem vendidit triginta argenteis, hoc est: 15. florenis. O maledictum interesse.

Jo. 9. 4.

4. Inter alia recenset dilectus Christi Discipulus, quòd Scribæ & Pharisei mulierem quandam in adulterio comprehensam ad Christum adduxerint, & quid de ea sentiret, aut statueret, sententiam definitivam exoptulaverint: *Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio, in lege autem Moyses mandavit hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Miror, quare non etiam prædicti Scribæ & Pharisei virum adulterum cum muliere comprehensum ad Christum Dominum adduxerint, quia lex tam adulterum, quàm adulteram morti adjudicat?*

4. Lyranus: *Adulter erat dives, & idèd pro pretio liberarunt eum.* Ecce lucrum & interesse accusantium Pharisaorum ac Scribarum cor & mentem dementavit, ut diviti adultero parcerent, mulierem verò inopem ac pauperulam perdere vellent, & per hanc occasionem etiam Christum quærebant ad mortem crucis promovere. O maledictum interesse! *Vitulus aureus adoratur*, ait Doctor Seraphicus, *quando amor*

S. Bonavent.
Dom. 3. post
Epiph. ser. 3.

5. Ubi Christus Dominus Lazarum à morte & sepulchro suscitavit, mox Pontifices ac Sacerdotes contra eum coegerunt concilium: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: Et venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem.* Multæ hic erant opiniones ac sententiæ. Tandem Caiphas illius anni Pontifex conclusit, & hanc tulit sententiam: *Expedi vobis, ut unus homo moriatur, & non tota gens pereat.* O bone JESU! nunc actum est de te, moriendum tibi est; ita conclusum in concilio à septuaginta duobus viris, qui in Synagoga majori pollebant dignitate & auctoritate, ita statutum. Et quæ, obsecro, causa hujus cruentæ sententiæ? An quia tot patraisti miracula? an quia pertransisti terram illam benefaciendo omnibus? an quia & mortuos resuscitasti? &c. &c. Ergo moriatur JESUS ob talia miseris mortalibus exhibita beneficia? Ita est: Moriatur ipse Author vitæ: *Moriatur*, Et quæ primaria causa tam injustæ necis?

Jo. 11. 47.

O maledictum, ô abominandum, ô execradum Interesse tu es causa mortis pretiosissimi Salvatoris nostri, quia Hebræi illi timebant regno, ac proprio interesse: *Venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem.* Supra quod S. Augustinus: *Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt, ac sic utrumque amiserunt.* Hoc habet proprium interesse; unde S. Paulus: *Omnes quarunt quæ sua sunt; non quæ sunt JESU Christi.*

S. Aug. tr. 49
in Jo.
Philip. 2. 21.

6. Progrediamur ulteriùs. Surgit post occiduum de novo universum hoc malignantium Concilium adversus JESUM Nazarenum, & cum ingenti apparatu ducitur Author vitæ catenis & funibus constructus ad Romanum Judicem Pilatum, ut eum tanquam criminis læsæ Majestatis reum & Cæsari rebellem ad crucis condemnaret mortem. Excusat se Pilatus: *Non invenio causam: Innocens ego sum à sanguine justii hujus.* Quid hic facit Interesse? Ecce clamorem omnium Interessatorum: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Et quid ad hoc Romanus Præses? O coeli obstupescite! hac univocâ voce terrefactus tradidit JESUM voluntati eorum, ut crucifigeretur. Et quare hoc? Observa Lector prudens! Pilatus timebat, & prævidebat in hoc judicio sanguinis

Math. 27. 24.
Jo. 19. 12.

guinis suum periclitari interesse, Cæsaris gratiam, & per consequens officium suum pinguissimum, omnia munera donativa, & respectum. Quid ergo fecit? stante pede decrevit, statuit & confirmavit, ut quantumcunque innocentiissimus Iesus Dei Filius inter duos latrones medius in crucem ageretur. S. Vincentius Ferrerius hanc sententiæ formulam, quæ Christus à Iudice Romano ad crucis necem condemnatus est, in medium profert: *Iesum seducentem populum, blasphemantem Deum, dicentem se Christum Regem Iudæorum esse, cruci affigendum condemno, & ad iudicium, O maledictum interesse, tu quàm maximè Dominum meum Iesum Christum ad patibulum crucis promovisti. Et quid nunc, Sodes, inter Christianos? Non audeo dicere, Propheta loquatur: *A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student; Et non est status aliquis, in quo non regnat interesse, meum ac tuum, frigidum illud verbum. Sed quid fiet tandem cum ejusmodi avaris & interessatis?**

S. Vinc. Ferr.
serm. de pass.

Jerem, 6. 13.

7. Audi quid herinacio solet accidere: Hic cum per angustum foramen ingreditur hortum, non fructum comedit, non quiescit, sed hinc inde, ut fur discurrens, arborem pomis turgidam ascendit, & per aculeos suos dorsum suum plurimis onerat pomis. Cum verò rursus ex horto exire discupit, non potest amplius, quia oneratus, per foramen illud angustum, per quòd intravit, exire; idcirco cogitur cuncta collecta per spinas suas poma relinquere, excepto uno, quod ore tenet, & in cavas portat arbores. En quomodo *spes illudit hiantem*, Herinacius typus est hominis avari & suo interesse dediti, qui multa in hac mortali vita assolet corradere bona, in fine tamen vitæ, cum per angustam mortis portam exeundum est, omnia simul perdit, & utinam non simul animam suam: O stulte, quæ parasti, cujus erunt? Et quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?

Luc. 12. 20.
Math, 16. 26.



CON.